

Romani et crudelis videbatur, quae tot annos illum in hanc rempublicam insultare videret, et pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones, senatus gravissima decreta perfregerat, pecunia se palam a judicibus redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reipublicae gesta resciderat, me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, conjugem meam vexarat: Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat, magistratum, privatorumque caedes effecerat, domum mei fratri incenderat, vastarat Etruriam, multos sedibus ac fortunis ejecerat, instabat, urgebat: capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciae, regna, non poterant. Incidebantur jam domi leges, quae nos nostris servis addicerent: nihil erat cuiusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret. Obstabat ejus cogitationibus nemo, praeter Milonem. Ipsum illum, qui poterat obstare, (Cn. Pompejum) novo redditu in gratiam quasi devinctum arbitrabatur: Caesaris potentiam, suam potentiam esse dicebat: bonorum animos etiam in meo casu contemserat: Milo unus urgebat.

XXXIII. Hic, dii immortales, ut supra dixi, mentem dederunt illi perditō ac furioso, ut huic faceret insidias. Aliter perire pestis illa non potuit: nunquam illum respublica suo jure esset ulta. Senatus, credo, praetorem eum circumscriptisset. Ne cum solebat quidem id facere in privato eodem hoc, aliquid profecerat. An consules in praetore coērcendo fortes fuissent? Primum, Milone occiso, habuisset suos consules: deinde quis in eo praetore consul fortis esset, per quem tribunum, virum consularem crudelissime vexatum esse meminisset? oppressisset omnia, teneret, possideret; lege nova, quae est inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos fecisset. Postremo, nisi eum dii immortales in eam mentem impulissent, ut homo effeminatus fortissimum virum conaretur occidere, hodie rempublicam nullam haberetis. An ille praetor,